

Armamentorum, bellicorumq; instru-
mentorum custos.

Der Zeugwart.

Quicquid in aduersos curru deducitur hostes,
Materia belli res variante meas.

Ex varijs quæ facta vides tormenta metallis,
Tum pila, quam viui sulphuris humor alit.

Omnia præterea tueor munimina, centum
Hic oculis custos præditus esse velim.

Singula namq; vigil mihi Scriba dat ordine certo,
Tempore quæ cogor reddere cuncta suo

Quod mihi per fures si distraheretur auaros
Res leuis, ipsa meis est reparanda bonis.

Mensores siue castrorum metat-
tores.

Die Schanzmeister.

Congesto validos circundamus aggere muros;
Lustramusq; vias, densaq; texta soli.

Quæq; sit in primis muralibus apta ferendis
Tormenti, varia lege probamus humum.

Marte fero quoties vrbs expugnanda videtur,
Cingitur aut ingens obsidione domus.

Non ego consilijs, quàm Marte salubribus unquam
Sum minor, at multum mens in utroq; valet.

Deniq; militibus sic propugnacula seruo,
Legibus ut maneant omnia tuta suis.

Dux